



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Quænam terminent Vnionem hypostaticam ex parte Naturæ
assumptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

em Reali distinctione, sed mediata Vniō non fiat cum separatione: Ergo quæ mediātē vniuntur, rectē dicuntur simpliciter vnitæ.

CONTROVERSIA III.

Quanam terminent unionem hypostaticam ex parte Naturæ assumptæ.

248. V Arij in hoc puncto fuerunt errores tum hæreticorum tum Catholicorum. Primus error fuit Arij, Apollinaris, & aliorum, asserentium, Verbum non assumpsisse veram animam, sed Verbum ipsum fuisse loco animæ. Damnatissimè verò Matth. 26. *Tristis est anima mea.* Jo. 10. & 12. *Potestatem habeo ponendi animam meam & : Nunc anima mea turbata est.*

Secundus error fuit Manichæorum, Priscillianistarum, & aliorum, asserentium, Verbum non assumpsisse verum corpus humanum, sed phantasticum: cuius oppositum est sæpius definitum, ac in dicto Symbolo expressum, & habetur Jo. 1. *Verbum caro factum est.* Lucæ 24. *Videte, quia Spiritus carnis & ossa non habet.*

Tertius error fuit Gnosticorum, Verbum assumpsisse Corpus cælestē, non terrenum, qui etiam damnatus est, & contrarium habetur, Jo. 1. Lucæ 1. *Quod ex te nascetur.* Dicitur quidem Christus cælestis, 1. ad Cor. 15. Sed propter Verbum, & propter miraculosam conceptionem, vitam & doctrinam.

Quartus error fuit quorundam Catholicorum, apud Magistrum sentent. docentium, inter animam & Corpus Christi non intercessisse Veram Vniōem, adeoque non totam Humanitatem fuisse assumptam: quæ sententia vocatur à S. Thoma & Suarez hæretica, quia idem esset ac dicere, Christum non esse Hominem, nec mortuum, quia mors est sublatio Vniōis inter corpus & animam.

Vtrum, sicut anima & Corpus, ita etiam Vniō sit immediatè assumpta, an per vnā indivisibilem vniōem hypostaticam, an per partiales, pendet ex quæstione philosophica de indivisibilitate vel divisibilitate substantiæ creatæ.

249. Quæres, quid sentiendum sit de hac propositione: *Verbum assumpsit hominem.* 82. Tamen satis frequenter fuerit ab initio Ecclesiæ usurpata, nunc tamen non toleratur, ut post S. Thomam tradunt Theologi. Ratio vtriusque est, quia tunc temporis nondum erat in vsu significatio vocis, *Humanitas*, supponentis pro Natura vt distincta à Personalitate, seu à tota Persona: Vnde factum est, vt diceretur, Verbum assumpsisse Hominem, intelligendo secundum ea, secundum quæ assumibilis est: quemadmodum si Verbum nunc assumeret Naturam aquæ, diceremus Verbum assumpsisse aquam, quia vox *Aquinitas* non est in vsu. Hodie verò postquam vox *Hu-*

manitas recepit significationem Abstracti, & significat Naturam vt distinctam ab hypostasi, abstinendum est ab illa propositione, ne videamur dicere velle, Christum assumpsisse totum hominem, seu totam Personam, & arguerentur in Christo duæ personæ.

Quæstio est, vtrum Verbum immediatè assumpsit sanguinem, supposita communiore sententiâ Medicorum, quod sanguis non vivat.

Affirmandum est cum S. Thoma, & tota ejus schola, cæterisque Theologis contra Durandum, Gabrielem, & ex parte contra Cajetanum. Ratio est, quia sanguis est pars Humanitatis, vt tradit Tridentinum sess. 13. c. 3. asserens, sanguinem esse partem Christi: sed Verbum assumpsit immediatè omnes partes humanitatis: quia non est major ratio de vna quàm de alia. Ergo.

Quod de sanguine dictum est, etiam de cæteris humoribus principalibus, phlegmate, pituita, atrâ & flavâ bile dicendum, ob eandem rationem. De Pilis & Unguibus negat Vasquez, alij affirmant, quia etiam censentur partes corporis: alioquin non haberetur ratio, cur ponantur in Eucharistia.

250. Celebris olim controversia fuit inter Scholam Thomisticam & Scotisticam de sanguine Christi effuso, vtrum in triduo mortis fuerit adhuc hypostaticè vnitus Verbo, saltem quoad illas partes, quas postea Christus resurgens reassumpsit. Negant Scotistæ, & negativam propugnauit coram Pontifice F. Franciscus de la Rovere, Ordinis S. Francisci, ac postmodum electus Papa Sixtus IV. contra Dominicum de Dominicis, Ordinis S. Dominici. Affirmandum tamen est cum S. Thoma. Quia de illo sanguine procedit eadem ratio, quæ probat, cadaver mansisse vnitum, nempe quia erat iterum copulandum animæ: ergo debebat semper manere corpus & sanguis Verbi. Neque obstat, quod hac ratione posset dici, Verbum adhuc fuisse cruci, fuisse effusum in terram. Nam hi modi loquendi ideo non usurpantur, quia in simili casu non usurpantur de homine: quæ autem usurpantur de Homine, etiam usurpantur de Verbo: sic quia vsu non est receptum, vt dicatur effundi homo, quando effunditur sanguis, ita nec dicitur Verbum effusum. Econtra, quia vsu receptum est vt dicatur: Homo jacet in sepulchro: existit in cælo: quamvis vnica pars ibi sit, ita etiam dicitur Verbum aut Christus sepultus esse, descendisse ad inferos. Fundamentum autem hujus diversi modi loquendi, si bene conjicio, est, quia homines concipiunt animam, tanquam partem principalem per species Figuræ humanæ: Corpus item, quia adhuc retinet externam Hominis Figuram. Non ita concipiunt sanguinem, aut vnā minutiozem partem: v. g. si manus abscissa Petri jaceret in foro: nemo diceret, ibi jacere Petrum, bene tamen si Truncus corporis ibi jaceret.